Berberides marinæ, ſeu Conchæ Matres Unionum dictæ. Rond. 33. Pärlein-Meer-Müſchlen. Geſn. 34.
Sunt Conchæ marinæ æquivalves, et inæquilateræ maiuſculæ craſſæ, et ê pluribus laminis teſtaceis ſibi invicem impoſitis efformatæ, â quarum innumeris extimis ſuperficiebus Conchæ ſquamoſiſſimæ redduntur. ſunt inſuper mediocriter umbonatæ roſtro umbonis rectâ incurvato, â quo ex uno latere in obliquâ lineâ quaſi ala expanditur, quæ in extimâ ſuperficie Conchæ angulum obtuſum conſtituunt, â quo Concha ſubrotundatur ad oppoſitum umbonis latus uſque, ubi ſulcus ſemicircularis mediante appendice auriculari roſtro accreta efficitur, â roſtro et umbone extima conchæ ſuperficies ſquamoſa primum apparet, coloris luride virideſcentis, nonnihil tamen ad obſcuram flavedinem vergentis, ſupra quam ſtriæ maiores et latiores fuſcæ excurrunt, quarum duæ ſemper ſibi proximiores exiſtunt, et maiori intervallo â reliquis duabus paribus, ſibique magis vicinis diſtant: internè cardo cum ſuis craſſiuſculis, ac ê pluribus lamellis efformatis apophyſibus latinam maiorem literam M. ſed obliquè ſitam, et quaſi iacentem conſtituit, inter quarum ſinus plura foraminula ſubrotunda obſervantur; ſed tantum cæca, et minimè Concham penetrantia; latera apophyſium extimam Conchæ ſuperficiem reſpicientia ſunt quaſi obliquè præciſa cum manifeſtâ lamellarum apparitione, ê quibus conſtruuntur. De reliquo Conchæ ſuperficies interna læviſſima, argentea ſplendens cum nonnullo rubore, et viriditate hincinde â reflexione radiorum lucis perelegánter emicantibus, ac nonnullis veſtigiis adhæſionis animalis inæqualibus ſtriis fuſcis tenuiſſimis inquinatis.

Berberis marina, ſeu Concha Mater Unionum dicta, vulgaris, maior, ex obſcuro flaveſcente luridè virideſcens ſtriata ſtriis fuſcis, ê parte umbonis topho imbutâ, repræſentata.